

CONFESSI^ONIS CATHOLICÆ,

in quo.

DOCTRINA CATHOLICA ET EVAN-

GELICA; QUAM ECCLESIAE AUGU-
stanæ Confessioni addictæ profitentur, ex Ro-
mano-Catholicorum Scriptorum sus-
fragiis confirmatur,

AUTHORE

JOHANNE GERHARDO D.

Liber I. Generalis.

Cum Gratia & Privilegio Elector. & Ducum
Saxoniae



JENÆ

Typis & Sumptibus ERNESTI STEINMANNI,

ANNO MDC XXXIV.

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Do-
mino

Dn. W I L H E L M O
Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Bergiæ
Duci, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comi-
ti in Marca & Ravenspurg, Domino in
Ravenstein,

S.M.R. Suecicæ Exercitus Generali Locumtenenti,
Heroi gloriosissimo,

Principi ac Domino suo Clementissimo,
Gratiam & pacem à Deo Patre per Christum Jesum
in spiritu sancto.

Illustrissime ac Celsissime Princeps, Heros glo-
riosissime, Domine clementissime, inter
illa, quibus Romano-Catholici Ecclesiæ suæ
veritatem, nostræ verò falsitatem evincere sata-
gunt, non postremum est illud, quod digo qua-
si indice sibi demonstrari postulant, ubi Ecclesia fuerit ante Lu-
therum, quem primum Ecclesiæ nostræ autorem ac paren-
tem esse, forti quidem, sed vanâ imaginatione sibi persuaserunt.
Cum enim de perpetua Ecclesiæ duratione divinæ & infalli-
biles promissiones extent, ex eo ~~avaliptas~~ colligi posse cen-
sent, Ecclesiam nostram, utpote, quæ non posset maiores suos ab Apa-
stolis serie continuâ & nunquam interruptâ descendentes numera-
re ac nominare, quæve (ut Pistorius in hodeg. cap. 4. de Ecclesia

EPISTOLA

negatur) Anno demum 1517. ex libero aere extiterit, non esse veram, sed spuriam ac adulterinam. Hunc Pontificiorum variis responderi potest modis, uti suo loco ex professo fuit comprobatum; hâc vice unicum illud urgemus, quod Waldensium Ecclesiaz aliquot ante B. Lutherum seculis floruerint, quas cum nostris doctrinæ consanguinitate conjunctas fuisse, ne ipsi quidem adversarii inficias iverint, cùm Popline riis scriptor Pontificius (cui Genebrardus hoc elogium tribuit, quod pure ac simpliciter ad Historia veritatem, non ad causagratiam cuncta narraverit) in Histor. Franc. lib. i. fol. 7. edit. Anno 1581. doctrinam Waldensium parum differre dicat ab ea, quam bodie Protestantes profitentur; ac Edmundus Campianus rat. 3. illos maiores nostros appellare non vereatur.

Denominationem verò acceperunt Waldensium Ecclesiaz à Petro quoddam *V Valdo* sive *V Waldensi*, qui à patria *V Valdis*, quod est oppidum in Marchia Galliaz, cognomen illud sortitus, circa Annum Christi 1160. cùm Papale regnum ad æquum jam pervenisset ac Cimmeriis Papatus tenebris omnia involuta & oppressa viderentur, puriorem verbi cœlestis doctrinā in variis non Galliaz solūm, sed totius Europæ provinciis spar gere cœpit. Ac quia idem *Petrus V Valdus* fuit civis *Lugduni*, quod vulgo etiam *Leon* appellatur, inde, qui ejus doctrinæ suffragium præbuerunt, dicti etiam fuere *Lugdunenses* ac *Leoni* stæ; Item ab eventu *Passeres de Lugduno*, & *Humiles* sive *Humiliati*, quia possessionibus suis excussi in summa paupertate hinc inde migrare coacti fuérunt. Dicti etiam fuere *Fratricelli*, *Albienses* & *Albingenses*, (quo nomine in Concilio Lateranensi sub Alexandro tertio censemur,) propterea, quod quidam eorum in *Albiorum* sive *Albinatum* civitate in Tholosatis bus sita concionarentur,

DEDICATORIA.

Quæ vero V Valdensium istorum fuerit doctrina, ex seculorum priorum scriptoribus, adeoq; ipsis eoru adversariis cognosci poterit. Frater Rainerus Sachonus, qui circa annum 1250. quatuor libros contra V Valdenses scripsit, ipsis hoc elogium tribuit, quod bene omnia de Deo credant Et omnes articulos, qui in Ecclesia continentur, recipiant, solam autem Romanam Ecclesiam blasphemant Et oderint. Distinguit autem errores ipsorum in tria capita, quod sc. erronea quedam doceant, contra Ecclesiam Romanam, contra doctrinam de Sacrementis Et de sanctis, Et contra honestos ejusdem Ecclesiaritus. De Ecclesia Romana, inquit, docent, non esse Christi Ecclesiam, sed Ecclesiam malignantium, que jam inde a Sylvester tempore, quo venenum temporalis dominii in eam effusum fuerit, à puritate doctrine defecit; proinde eam non amplius esse Christi sponsam, sed meretricem illam magnam in Apocalypsi Jobannae descriptam; Papam esse omnium errorum caput ac fontem; Ecclesiae Romane Antistites Scribis Iudeorum, Monachos Pharisaeis conformes, à doctrina Evangelii ad humanas traditiones deflexisse. Sacramenta lingua peregrinâ administrari improbant, cum Patrimi, quid in Baptismo respondeant aut spondeant, non intelligent; exorcismos item, signationes crucis Et cetera hujusmodi in Baptismo ad biberi solite respuunt. Missam sacrificium esse negant, ejus Canonem Apostolis ignotum fuisse afferunt, ac verbis Christi vernacula lingua proferendis Eucaristiam consecrandam esse docent. Praeterea sacrorum Bibliorum textum nibil in Ecclesiam admittunt, non Decreta, non Decretales Epistolas, non Sanctorum Legendas, non Ecclesia traditiones. Inde invocationem sanctorum, adorationem crucis, consecrationes palmarum, cineris, chrismatis, agnorum, quos vocant, Dei, salis Et aque, peregrinationes religiosas meriti. opinione suscepas repudiant. Negant etiam purgatorium, dicentes

EPISTOLA

post mortem duas tantum vias esse, unam electorum ad cœlum, alteram damnatorum ad infernum; omnes Missas & precipue eas, que pro mortuis expurgatorio liberandis cantantur, impias, eoz penitus abolendas esse, ut & anniversaria & suffragia hujusmodi. Idem Reinerus de ipsis memorat, quod V. & N. T. in linguam vernaculam, Gallicam sc. à Petro VValdo translatum summo studio evolverint, ejusdemq; describendi potestatem cuivis fecerint. Aeneas Sylvius, postea Pius secundus, Pontifex Romanus, in Historia Bohemica cap. 35. hæc VValdensium dogmata perstringit. Romanum Praesulem reliquis Episcopis parem esse; inter Sacerdotes nullum discrimen esse, Presbyterum non dignitatem, sed vita meritum efficere potiorem; animas corporibus excedentes, aut in eternas è vestigio poenas mergi, aut perpetua consequi gaudia; purgatorium ignem nullum inveniri; vanum esse orare pro mortuis & avaricie Sacerdotalis inventum; Dei & sanctorum Imagines (ad cultum prostantes) esse delendos; aquarum, palmarum benedictiones irridendas; Mendicantium religiones malos Demones invenisse; nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia tolerandum; Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt & extremam unctionem inter Ecclesie sacra minime contineri; auricularem Confessionem nugacem esse; sufficere quemq; sua Dep in cubili suo confiteri peccata; Baptisma fluvialis unda, nullâ interjectâ sacri olei mixtura, recipiendum; cœmiteriorum iuganem usum, questus causâ repertum; quâcunque tegantur tellure humana corpora, nil distare; templum Dei latè patentis ipsum mundum esse, coaretare majestatem ejus, qui Ecclesiæ, Monasteria, Oratoriaq; construunt, tanquam propitiator in eis divina bonitas inveniatur; Sacerdotales vestes, altarii ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas, vasaq; hujusmodi subbabere momenti; Sacerdotem, quo cung, loco, quo cung tempora-

DEDICATORIA.

re, sacram Christi corpus confidere posse, potentibusq; ministrare;
 sufficere, si verba Sacramentalia tantum dicat; suffragia sancto-
 rum in cœlis regnantium frustra impetrari, que juvare non po-
 funt; in Canonis horis cantandis, dicendisq; tempus frustra terci;
 nullâ die ab opere cessandum, nisi que Dominica nunc appellatur;
 celebritates sanctorum rarsus rejiciendas; jejuniis quoq; ab Eccle-
 sia constitutis nibil inesse meriti &c. quæ tamen dogmata pro o-
 dio, quo in eos fertet, Sylvius suis verbis satis invidiosè expo-
 niit, sed in Confessione ipsorummet VValdensium Regibus
 Bohemis ab iis, qui ex Gallia ejecti in Bohemiam profuge-
 rant, aliquoties exhibita enucleatiæ explicantur. Habuit Pe-
 trus iste VValdensis in docendo para statas Petrum de Bruis,
 sive Bruizium &c, qui ei succedit, quendam Henricum, à quibus
 Petrobrusiani denominationem acceperunt. Contra illos scri-
 psit Petrus Cluniacensis in suis Epistolis, in quib. hæcce dog-
 mata ipsis tribuit. *Infantes non salvare alienā fide;* sed oportere
 suā, id est, propriā fide baptizari & salvare; *Corpus & sanguinem*
Christi in theatra Missa non offerri, neq; eam oblationem fieri pro
 animarum salute; doctrinam de speciebus Sacramenti, ipsis ni-
 mirum substantiis mutatis, esse falsam; *Sacrificia, id est, Missas, ora-*
tiones, eleemosynas & reliqua vivorum opera pro defunctis esse
stultitiam & impietatem, nihilq; eis prodeesse; Sacerdotes & Ma-
 nachos debere uxores potius ducere, quam impudicitie fornace
 comburi, aut scortari; cruces non adorandas & venerandas, & tot
 cruces superstitionis servientes, potius amovendas, quam retinen-
 das; templa tot tantisq; sumptibus non esse extruenda; canticos il-
 lis, que Monaci aut Sacerdotes in templis personant, Deum irri-
 deri; die Dominicâ & aliis licitum esse, carnis vesci; soli Scriptu-
 ra sacra credendum, Patrum vero scripta non esse pari autoritate
 cum Scriptura sacra habenda. Hæc fuere præcipua VValden-
 sis

sium & Petrobrusianorum doctrinæ capita, quibus in Confessione ipsorum etiam hæc adduntur, *Sacra menta esse duo tantum; Eucaristiam sub utraque specie Sacerdotibus & Laicis dandam; Ecclesiam Christi veram esse, quæ verbum Christi habeat & Sacramentis utatur, ubiung, illa sit, & quæ sunt hujus genesis alia.*

Sanè non inficiamur, præter hæc dogmata, quæ si rectè explicitur, Scripturis sacris exesse sunt conformia, errores detestabiles & horrenda flagitia, tum à superiorum seculorum, tum nostri temporis Scriptoribus, eisdem tribui. Accusant enim illos *Manicheos*, ut constat ex Baronio Ann. 1178. n. 17. & 21. sed hæc accusatio dubio procul ex famoso cap. Unâ sanctam extr. de majorit. & obœd. originem traxit. In eo enim Bonifacius octavus eos, qui Monarchicam & supremam Pontificis potestatem negant, (quod VValdenses fecisse constat) confert eum Manicheis duo rerum principia statuentibus. Conjungunt illos cum *Gnosticiis, Catbaris, Montanistis, Adamitis*, hæreticis pestilentiissimis. Guido Carmelita & ex eo Alphonfus de castro lib. 4. adv. hæresi. i. tribuit VValdensibus, quod docuerint, urexte carnis libidine omnem carnalem commixtionem tam inter viros, quam inter feminas esse licitam. De Petrobrusianis Petrus Cluniacensis Epist. 2. scribit, *Fama est de ipsis, quasi non integrum canum, b.e. non omnia V. & N. T. scripta, sed solum Evangelium recipiant.* Epist. 1. tradit, ipsos docuisse, quod fides propria sine Baptismo nihil profit; quod parvuli, infra etatem intelligibilem constituti, Baptismo Christinon possint salvari; quod baptizati in infancia postea adulti iterum sint baptizandi; quod sacra Cœna nunc non sit hominibus danda, quia semel tantum Apostolis sit data; quod templo omnia sint diruenda &c. Ut risque tum VValdensibus,

DEDICATORIA.

tum Petrobrusianis tribuunt, quòd debitum *Magistratibus obsequium denegarint*; quòd *sortilegia & veneficia exercuerint*; quòd *promiscuos concubitus extinctis luminibus in conventibus suis pergerint*.

Sed accusationum istarum vanitas ac falsitas ex ipsorum adversariorum scriptis & VValdensium actis facili negotio demonstrari potest. Rainerius de illis sic scribit. *Inter omnes sectas, qua sunt vel fuerant, non est perniciosior Ecclesia Dei, quam Pauperum de Lugo, tribus de causis.* Prima, *quia diuturnior*; *quidam dicunt, quòd duraverit à tempore Sylvestri, alii dicunt à tempore Apostolorum.* Secunda, *quia est generalior, ferè enim nulla est terra, in qua bæc secta non serpat.* Tertia, *quòd omnes aliae, cum immanitate blasphemiarum in Deum, horrorem inducant, bæc Leonistorum magnam habens speciem pietatis, eò quòd coram bonitibus justè vivant & benè omnia de Deo credant & omnes articulos, qui in Symbolo continentur.*

Quodnam verà honestius de ipsorum doctrina & vita dari posset testimonium, quàm hoc ipsum ex hostis ore expressum? Fridericus 2. Imperator in suis contra illos Constitutionibus nihil quidquam de atrocibus & horrendis istis crimini bus meminit, sed hoc duntaxat nomine eos damnat, quicd ab Ecclesia Romana, ejusq; cultu & Ceremoniis discesserint, ut ex Epistolis Petri de Vineis Cancellarii ejusdem Imperatoris perspicue clucescit. lib.1. cap. 25.26.27. Memorabile cumprimitur est publicum innocentie testimonium à Legatis Ludovici XII. Galliarum Regis VValdensibus datum. Cardinales & Episcopi Merindolanos & Cabrerienles, VValdensium reliquias, coram Rege bære seos, veneficiorum, incestuum ac aliorum criminum reos agebant, ac Regis animum ad bellum contra ipsos suscipiendum inflammabant. Merindolani ac Ca-

brerienses de cruentis hisce Cardinalium & Episcoporum consiliis ac atrocibus illis, quibus apud Regem deformati erant, calumniis certiores redditi, Legatos ad Regem decernunt, per quos & innocentiam suam tueantur & bellum de- precentur. Illos Cardinales & Episcopi aditu Regis prohibe- re conabantur, sèriò ipsum monentes, ne in conspectum vel colloquium suum VValdensium Legatos admitteret, cùm jure Canonico omne cum hereticis consortium sit interdictum. Verùm Rex masculè respondit. *Etiamsi adversus Turcam, aut Diabolum mibi suscipiendum esset bellum, eos tamen prius audi- dire vellem, in auditum enim damnare ac bello oppugnare est sce- ptro Et jure abuti.* Accersitos ergò Legatos introduci jubet, qui debitâ cum reverentia exponunt, Merindolanos & Cabrerien- ses Evangelium, Biblia, Symbolum Apostolorum, Decalogum, Sa- cramenta agnoscere atque amplecti; ceterum nec Papa, nec ipsius doctrina adbarerere; si rem aliter se habere Rex deprehenderet, nul- lum supplicii genus se se recusare. Illa an se ita haberet, an verò se- cùs, Rex cognoscere expertens, Adamum Finnæum libello- rum supplicum Magistrum & Parvum Dominicanum, qui à Confessionibus ipso erat, ad Merindolanos & Cabrerientes alegat, qui certis quibusdam questionibus iisdem propositis rem omnem penitus explorent. Reversi isti ad Regem refe- runt; illis in locis homines baptizari, articulos fidei & Decalogum doceri, Dominicanos dies religiosè coli, Dei verbum exponi, veneficia & supra apud eos nulla esse: ceterum se in ipsorum templis neque imagines, neque ornamenta Missa ultra reperisse. Rex hisce audi- tis tantum abest, ut bello eos adoriri voluerit, ut jurejurando addito dixerit, & me & cetero populo meo Catholica illi meliores sunt.

Claudius Seifellensis Archiepiscopus temporibus ejus-

DEDICATORIA:

dem Ludovici XII. ex professo contra VValdenses scripsit, sed
in eodem scripto ipsos homines probos, integros, innocentes, in
conversatione irreprobensibiles & preceptorū Dei fedulos observa-
tores fuisse profitetur. Id ipsum quoq; agnovit Guilielmus Pa-
radinus in Annalibus Burgundiæ, qui, se Historias legisse, ait, in
quibus & Albingenses & Principes Regutiq;, eorum fautores, ab
omnibus istis calumniis vindicantur, & eo tantum nomine tot mo-
dis vexati dicuntur, quod Ecclesie Romanae traditiones publicè re-
prehenderent. Prima istarum accusationum VValdensibus in-
tentatarum origo tribuenda videtur Petro Sarnensi Monacho
Cisterciensi, qui Historiam de VValdensib. calumniis probè
suffarcinatam Innocentio 3. Pontifici inscripsit, ex quo reliqui
materiam præjudiciorum desumpsere, qui sinistra de Confes-
soribus istis judicia in scriptis suis protulére.

Neq; est, quod Pontificii regerant, ipsos fuisse manipulum
exiguum, cætum contentū, factionem recens exortam. Fuit profe-
ctò illorū cætus numeroſissimus, ab Alpibus ad Pyræneos usq;
montes per plurimas regiones diffusus, unde Rainerium con-
querentem audivimus, quod nulla ferè terra sit, in qua hac facta
non serpat. Primùm enim tenuerunt locum in montibus &
convallibus Allobrogum, in provincia *Gallia* Narbonensi
& Aquitanica, in Albienisi, Ruthena, Cadurcensi, Agennen-
sique Dicœcisi, ut Jacobus de Rebiria in suis de urbe Tolosæ
Collectaneis testatur. Ex hac terra patria Petrus Waldus
in *Belgium* progressus, in Picardia multos sectatores invenit.
Inde in *Germaniam* transit, ac diu per Vandalicas civita-
tes diversatus est, ut Jacobus Augustus Thuanus lib. 6. Hist.
memorat. Guido Perpinianus libro de hæresibus annumerat
etia *Angliam*, in qua An. 1174. VValdenses docuerint. Id ipsum
testatur Guilielmus Neubricensis rerū Anglicarū lib. 2 cap. 13.

ubi etiam addit *Hispaniam & Italiam*, refertque in latissimis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæq; provinciis tam multos illorum adhæsisse doctrinæ, (quam ipse quidem ex præconceppta opinione pestem vocat) ut secundum Prophetam multiplicati super numerum arenæ maris viderentur. Fridericus 2. Imp. in suo contra VValdenses Edicto testatur, quod per totam Italiam usq; in Siciliam dogma suum sparserint. Trithemius in Chronico Hirsaugensi memorat, ex eis captos quosdam in urbe Argentinensi coram omni populo & plebe confessos publicè fuisse, quod tantus eorum esset numerus, ut si quis ex eis in Colonia Mediolanum ire statuerit, omni nocte hospitem ex secta eorum inveniret. Idem testatur, in numero ejus professionis in Austria, Bohemia, vicinisque regionibus fuisse, & quendam ex ipsorum Concinatoribus Viennæ igni damnatum, ad supplicium adductum, plures quam 80000. in illis regionibus eam religionem amplexos professum esse, quorum in diversis locis multi passim flammis traditi. Nauclerus volum. 2. generat. 41. memorat, banc doctrinam, quam Romanæ Ecclesiæ linguâ heresin vocat, in Italia mirificè crevisse, tum in equestri ordine, tum in plebeio, ac Confessores ejus quotannis in doctorum suorum sustentationem collectam aliquam Mediolanum misisse. Denique etiam eos in Bulgaria, Croatia, ac Dalmatia, pervenisse auctor est Matthæus Paris, ac Flacius Illyricus in Catal. testimoniis veritatis ex Fragmentis librorum Inquisitoriorum probat, doctrinam VValdensium per Lombardiam, Alsatiam, totum tractum Rhenanum, Belgium, Saxoniam, Pomeraniam, Borussiam, Poloniæ, Livoniæ, Sueviæ, Silesiam, Bohemiæ, Moraviæ, Calabriam & Siciliam longè lateq; fuisse propagatam.

Nec solum adhærentium multitudine, sed etiam auctoritate, illorum cœtus illustres ac conspicui fuere. Autoritatem illam

DEDICATORIA

illam sibi conciliarunt. Primum quidem eminentia & dignitate ad seclarum. Adhærebant enim illis Proceres plerique, Raimundus Comes Tolosæ & S. Egidii, Regis Franciæ consobrinus, Raimundus Rogerius Biterrarum & Carcassonæ Comes, Petrus Rogerius Gabareti Regulus, Raimundus Fuxensis, Regis Aragoniæ propinquus, Guasto Bearnii Princeps, Comes Bigerrorum, Domina Lavauraci, Comes Carmanii, Raimundus de Thermis, Americus de Monstrolio, Guilielmus de Minerbio & innumeri alii profapiæ nobilitate insignes, cum primis verò Rex Aragoniæ & Comites Tolosates patrocinium illis præstabant, unde Rainierius de sic illis scribit. *In omnibus civitatibus Lombardia & in Provincia, & in aliis regnis & terris auditores habebant, & in publico disputabant, populumque vocabant ad Stationes solennes in foro & in campo, & predicabant in tectis. Non erat, qui ipsos impediret audoret propter potentiam & multitudinem fautorum.*

Secundò sacrarum literarum scientiâ, quam ex assidua lectione sibi comparaverant, cùm contrà Pontifici doctores inscitiaz infamia apud omnes laborarent, quâ de re Jacobus de Rebiria d. l. sic scribit. *Eo tempore, quo VValdensum in Gallicâ celebrior erat fama, nullo aut parvo in precio erant isti, qui Sacerdotes se, Episcopos & Ministros Ecclesie dici volebant. Indigni enim omnes & rerum omnium ignari penè cùm essent, facile illis fuit, eruditione & doctrinâ præcellentissimis, primas in populo partes sibi vendicare; ex quibus cùm praeceteris VValdenses acutias de religione disputarent, admittebantur scilicet à Sacerdotibus publicè docendi causa, non quod de eorum sententia sibi probarentur, sed quod VValdensibus ingenio pares non essent. Tanto in bonare erat bujusmodi hominum secta, ut & ab omnibus oneribus baberent immunitatem & multo plura ex morientium Testamentis conseqüerentur, quam Sacerdotes.*

EPISTOLA

Tertiò, inde fessa docendi ac discendi industria, cuius laudem Reinerius ipsis tribuit, sic scribens. *Viri & mulieres, parvi & magni, nocte & die non cessant discere & docere. Auditvi ab ore credentis cuiusdam, quod quidam hereticus, quem novi, ad hoc tantum, ut eum à fide nostra averteret & ad suam perverteret, produceret q. nocte, by malo tempore, per aquam, quæ dicitur Ibis, natavit ad ipsum. Erubescat negligentia fidelium doctorum, qui non sic zelant Catholicæ fidei veritatem, sicut Leonista zelant infidelitatis errorem.* Et postea. *Novum & Vet. Test. vulgariter translaterunt & sic docent ac discunt. Vidi & audiri rusticum idiotam, qui Job recitavit de verbo ad verbum, & plures alios, qui totum N. T. sciverunt perfectè. Idem de ipsis commemorat, quod in sole Parochia Camerach babuerint decem scholas.*

Quartò, in fidei sue professione constantiâ & in sustinendis persecutionibus tolerantiâ. Quamvis enim instinctu Romani Pontificis horrendis persecutionibus adversus Waldenses Principes & Magnates certatim sœvirent, nec ad summam crudelitatem quidquam reliquum facerent, nullis tamen periculis, nullis minis, nullis cruciatibus permoveri potuerunt, ut à veritate ex Scripturis sacris agnitâ desisterent, unde Petrus de Vineis Friderici Imperat. Cancellarius in Epistolis suis ipsis vocat *vita prodigos & necis improvidos sectatores*; & addit, *quod ipso facto durissimum est, superstites etiam non terrentur exemplo, adfectant, ut viri in conspectu boninum comburentur.* Innocentius 3. pares Indulgentias pollicebatur illis, qui Albienses bello invadarent, atque illis, qui Saracenos oppugnatum irent, ac quæ in bellum sacrum contra juratos Christiani nominis hostes indicta erat pecunia, eam in Waldensium necem intervertebat. Neque belli duntaxat, sed etiam Inquisitionis faces ipsis fuere admotæ. Trithemius in Chro-

DEDICATORIA.

nico Hirsaugiensis memorat, Argentine ad octoginta ex illorum ordine combustos fuisse, inq; vicino agro trucidatos ad centum uno die. Ibidem præcipitem adversus illos procedendi modum hisce perstringit verbis. Eodem, inquit, tempore in Alemania multi nobiles & ignobiles, Clerici, Monaci, Moniales in clusa, Burgenses, cives & rustici à quodam Fratre Conrado de Marpurg Ordinis Prædicatorum (qui generalis Inquisitor beretorum à Sede Apostolica fuerat constitutus) per diversa Teutonica loca ignis supplicio, nimis præcipiti sententiâ, ut multis tunc fuit visum, sub beretis nomine sunt addicti. Nam, ut quidam scribit, eodem die, quo quis accusatus, sive justè, sive injustè, nullius applicationis, nullius defensionis sibi refugio proficiente, damnatus & crudelibus flammis injectus est. A Clemente Pontifice proscripti, & vita & bona eorum libidini & prædæ quorumvis exposta fuere, ut nno in loco, in quem forte se receperant, quatuor millia eorum simul fuerint obliterata, superstitionis prærupta montium potentibus, iaque eis latibussum quarentibus. Superiore seculo Ann. 1540. Aquis in eos lata fuit sententia, ut omnes promiscue opprimerentur, ut dirutis edificiis vicus (Merrindolum, in quo habitabant) solo aquaretur, ressecarentur etiam arbores omnes & locus omnino desertus redderetur. Sed hanc injurias, hasce carnificinas, hosce bellorum impetus Vallenses forei & imperterrita animo sustinuerunt, ac miraculosas quandoque victorias ab hostibus, qui præter meritum ipsos adoriebantur, Deinde beneficio retulerunt, eajus rei memorabile exemplum cōmemorat Jacob. Augustus Thuanus libr. 27. Histor. pag. 559. Desiderati, inquit (in prælio cum Trinitensibus) ex Vallensisbus tantum duo, ex Trinitensibus magnus & incertus numerus &c. Tot vero præcedentibus præliis ac velitationibus ex Convallensisbus tantum quatuor-

decimoccisos memorant, remq; miraculo prrpiorem etiam ab hosti-
bus habitam, ut palam in castris Saubaudi iactaretur, jam manife-
stum esse, bellum, quod aduersus VValdenses gereretur, contra Dei
voluntatem susceptum, Et quidem Sebastiano Virgilio ad pralium
cum atrocibus minis vadenti ab hospita predictum scribunt, eadis
reipsa experturam, Sabaudie an VValdensium causa esset justior.
Nam si Sabaudi justior esset, ejus quoq; fore victoriam. Cum igi-
tur vulneratus ac prope exanimis in diversorum referretur, tunc
eandem hospitam inclamasce, VValdensium causam potiorem esse,
quippe cum exiguo numero contra tam potentem exercitum supe-
riores extitissent.

Denique non fuisse VValdenses factionem aliquam re-
peutinè ac recens exortā, patet ex eo, quòd Rainerius testatur,
quosdam à tempore Sylvestri (quo venenum terrenæ domina-
tionis in Ecclesiam fuit infusum) quosdam à temporibus Apo-
stolorum originem eorum arcessere: quódque Thuanus libr. 6.
Histor. testatur, illos fidem suam à majoribus accepisse Et per ali-
quot annorum Centurias docuisse, atque inde factum esse, ut Lu-
ttero reformatam doctrinam propónenti tam multi in diversis ac
dissitis locis per universam Europam sese conjunxerint. Confer
Balæum in Catalogo Scriptorum Britannæ Centur. 2. Ca-
atalogum testimoniū veritatis libr. 15. pag. 1498. Sleidanus Histori-
cam Relationem de VValdensibus lib. 16. Petri VVelsenbecii
orationem de VValdensibus in hac Academia Jenensi habi-
tam & typis exscriptam, Mornæi Historiam Papatus &c.

Sed præter VValdenses etiam alii complures veritatis cœ-
lestis Confessores produci possunt, qui Papalibus erroribus
cataclysmi instar inundantibus nullâ periculorum ac mina-
rum ratione habitâ masculè contradixerunt, quorum com-
plures testimoniū suum voce vel scripto prolatum etiam

DEDICATORIA.

Anguine suo obsignare minimè dubitârunt. Illorum celtimonia in hac Confessione Catholica in medium producere fuit animus, ut liquidò manifestum fieret, superioribus illis, quæ doctrinæ reformationem præcessere seculis, nec Deo Ecclesiam, nec Ecclesiæ veritatem, nec veritati Confessores unquam defuisse.

Vestræ verò Celsitud. Princeps Illustrissime, Domine clementissime, hanc opellam meam humiliter inscribere & volui & debui, ut pro singulari clementia & eximiis, quæ in me contulit, beneficiis gratum meum animum subiectissimè declararem, & illustrissimi nominis vestri gloriam, quam rebus belli pacisque temporibus præclarè gestis Cels. V. sibi comparavit, æternæ posteritatis memoriæ transcriberem. Religionem Evangelicam ex limpidis Scripturæ fontibus haustam, cui in hoc scripto ex ipso Adversariorum ore suffragium queritur, V. Cels. non solùm ipsamet sincero corde amplectitur, sed etiam in ditionibus suis, quarum regimen divinitus ipsi commissum, publicè prædicari ac propagari curat, constitutis ad eam rem fidelibus Ecclesiæ doctoribus, perpetuâ quadam λαμπταδοφορίᾳ sibi invicé succendentibus. De iustitiæ administratione Cels. Vesta non minùs sollicita, subditis æquâ lance justis distribuit, operâ cum primis Dnn. Consiliariorum, quos eruditione solidâ, prudentiâ singulari, (longo rerum usu & multorum annorum experientiâ comparatâ,) autoritate eximiâ & eloquentiâ mirabili, adeoq; requisitis omnibus ad sublime hoc officium necessariis instructos in partem solicitudinis sibi ascivit. Eâ insuper clementiâ, eo paterni amoris affectu V. Cels. subditos suos amplectitur, ut proprii corporis objectu injurias hostiles ab illis prohibere non fuerit haec tenus verita, cum longo annorum usu eam rei belli-

EPISTOLA

cæ peritiā sibi comparaverit, atque eā animi prudentiā ac robore polleat, ut magnus ille Suecorum, Gothorum, Vandalarum Rex *Gustavus ADOLPHUS*, Germanicæ libertatis vindex, cui secula longa non habuēre parem, nō habitura parem, cujus gloria iisdem, quibus Solis cursus, terminatur limitibus, Cels. Vestram rerum summæ præficere non dubitat ac in Exercitu secundum à se esse jussit. Atque, ut reliquas V. Cels. virtutes & magna in Rempubl. merita sicco pede prætteream, vel hoc solum nomine nunquam intermorituram laudem apud seram posteritatem Vest. Cels. sibi conciliavit, quod unā cum Illustrissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, Dn. JOHANNE PHILIPPO, Saxoniz, Juliaz, Cliviaz ac Bergiaz Duce &c. Domino ac Principe meo clementissimo &c. precibus meis humilimis locum relinquere ac Baronatum Rembda & arcem Apolda cum omnibus pagis, redditibus ac fructibus annuis Academiz Jenensi jure hereditario possidenda tradere voluerit, ut bonis hisce fundata ac firmata, dotata & dictata, non solum ab eo, quem minari videbatur, Interit uin dicaretur, sed in posterum etiam adversus quosvis sinistroforis fortunæ impetus inconcussa persisteret, atq; ex ea, velut ex equo Trojano, prodirent viri in omni disciplinarum genere probè instructi, quorum operâ in Ecelesia & Republica orbis Christianus salutariter uti frui posset. Ibit in secula hoc Cels. Vestra beneficium, nec ulla temporum futurorum oblivio memoriam illius ex animis hominum delebit. Certè quicquid boni, quicquid commodi ex hac Academia in tres Hierarchias Dei benedictione in posterum redundabit, illius partem longè maximam Cels. Vestra jure quodam suo sibi vendicare poterit. Suscipe ergo, Illustrissime Princeps, Heros glorioissime, sereniore vultu chartaceum hoc munusculum.


DEDICATORIA

profectum ab eo, qui beneficii hujus amplissimi preuenetam
ac pararium se fuisse impensè lætatur & ad pias preces ac ser-
vicia subjectissima Cels. Vestræ se vele eo nomine ætatèm ob-
strictum atque obligatum profitetur. Benignissimus Deus
Cels. Vestræ cum conjugé Illustrissima & sobole generosissi-
sima quæm diutissimè salvam atque in columnen tueatur, atque
omnia, quæ hominis, quæ Christiani, quæ Principis vota esse
possunt, cumulatissimè eidem concedat. Jenæ Cal. Januarit
Anni ineuntis 634. cuius decursum felicissimum bonis omni-
bus animitus adprecatur

Cels. Vestræ

Subjectiss.

Joh. Gerhard D.



Ad Autorem.

Tot cum *Judicio legere, Et disponere, quot Tu
Libro uno exponis Magne Gerharde Libros,*
Humani non est Animi labor ille, sed ille
Divini labor est maximus Ingenii.
Quod si, non fuit; aut Simile haud opus esse futurum,
Dixero, dum stetit, aut stabit hoc Orbis opus:
*Dixero quod res est, Et dixero, Te tamen Unum
Autborem tanti Magne Gerharde Libri.*

**Caspar Facius Consiliarius
Saxonicus.**

SCHEMATISMUS
LIB. I. CONFESS. CA-
THOLIC.

Proemium. p. 1.

CAP. I. de utilitate ex hoc scripto expe-
pectanda: p.z.

Prima est, veritatis confirmatio. ead.

2. Vana gloriationis confutatio; utpote

Primo, de Romanæ Ecclesiæ infallibilitate. 8.

Secundo, de negata nostræ Ecclesiæ veritate.

ead.

Tertiè, de omnimoda Ecclesiæ Rom. unitate.

ead.

3. audaciæ facti retorico. 9

4. bæses declinatio. ead.

5. accusationis de novitate depulso. ead.

6. ad πολυδύνατος Pontificiorum questionem

reponsio: ead.

CAP. II. de Pontificiis quibusdam exceptio-
nibus. 10

1. quod Scriptores illi se & sua scripta Ecclesiæ
judicio subjecerint. ead.

2. quod Pontificiis hypothesin aliquam cum Pro-
testantib. communem amplectentes bonam
foveant intentionem. 15

3. quod restes adducti sint pauci & obscuri. 16

CAP. III. de quibusdam Scriptoribus, quoru-
mæ testimonia adducuntur. p.ead. & quidem
primo de iis, qui vixerunt ante reformatio-
nem.

1. de Gregorio magno.

2. de Bernardo.

3. de Glossa ordinaria.

4. de Joachimo Abbatæ.

5. de Platina.

Secundo, de iis, qui vixerunt post reformatio-
nem,

1. de Autore libri, cuius titulus Onus Ecclesiæ.

18.

2. de Erasmo Roterodamo. 19

3. de Beato Rhenano. 20

4. de Ludovico Vive. ead.

5. de Georgio Cassandro. 21

6. de Johanne Fero. 23

7. de Johanne Aventino. ead.

8. de Cornelio Agrippa. 25

9. de Andrea Fricio Modrevio. 25

10. de Georgia Wicelio. 26

Deniq; de diffensionibus Adversariorum. ead.

Confessionis Catholice liber 1. 28

Par; prior, de principio & mediis religionis ve-

ræ Catholice. ead.

Cap. 1. de Scriptura sacra perfectione. ead.

Thesis. ead.

Antithesis. ead.

Nostræ sententie confirmatio. ead.

Eidem suffragantur. 1. Gregorius Episcopus

Rom. 30

2. Bernhardus. ead.

3. Jus Canonicum. 31

4. Scholastici. ead.

5. Qui vel Scholasticorum tempore, vel post

Scholasticorum tempora usq; ad B. Luthe-
rum vixerunt. 33

6. Qui vel Lutheri tempore, vel post Lutheri
tempora usq; ad nostram acatem vixerunt.

35.

Exceptiones Adversariorum ad nostra argu-

menta. 44

1. ad locum 2.Tim. 3.v.15, ead.

4

2. ad

SCHEMATISMUS.

2. ad locum Job.20.v.31.	46	Decimò septimo, quod due in Christo voluntates & operationes ead.
3. ad locum Ps.19.v.8.	ead.	Decimò octavo, quod detur peccatum originis ead.
4. ad locum Gal.1. v.8.	ead.	Decimò nono, quod Baptismus non sit iteranus ead.
5. ad locum Apoc.22.v.18.	27	Vigesimo, quod in Baptismo pronunciari debent hæc verba, Ego baptizo te in nomine Patris &c. 66
Argum. Adversariorum	ead.	Vigesimo primò, quod B. Maria sit vocanda deo. 67
2. Multi libri Canonici perierunt	ead.	Vigesimo secundo, quod dies Dominica loco Sabbati celebranda ead.
2. Apostoli non scripserunt ex Dei mandato ead.	48	Vigesimo tertio, quod comedi possit sanguis avium & animalium suffocatorum. 68
3. Multa necessaria non continentur in Scripturis, utpote, primò, quale remedium fæmina in Ver. Test. habuerint contra peccatum originis.	ead.	Vigesimo quartò, quod hæc sit sola & vera Baptismi forma, Ego te baptizo in nomine Patris &c. ead.
Secundò, quale remedium habuerint parvuli ante institutam Circumcisionem.	49	Vigesimo quintò, qui instituerit Exorcistus.
Tertio, quale remedium habuerint masculi ante octavum diem mortis.	49	Vigesimo sexto, unde originem traxoris usus dimittendis reos in paschate ead.
Quarto, quomodo salvati fuerint gentiles extra Israëliticam Ecclesiam	50	Vigesimo septimo, quod in fœderi sanctione mixta fuerit aqua cum sanguine Testamenti 70
Quinto, quod extens libri aliqui verè divini ead.	51	Vigesimo octavo, qualu fuerit pugna Angeli & Diaboli de corpore Moysi. 72
Sexto, qua sit illa Scriptura divina	51	Vigesimo nono, quod dicenda sint tres personæ in Trinitate 73
Septimo, quod illi libri, quos in manibus babemus, sint libri sacri	ead.	Trigesimo, qui sit determinatus Sacramentorum numerus ead.
Octavo, quis cuiusque Canonici libri auctor	57.	CAP. II. de norma & regula controversiarum fidei in Ecclesia. ead.
Nono, quod pascha die Dominico celebrandum est.	58.	Thesis. ead.
Decimo, quod parvuli baptizandi	59	Indivisi. ead.
Undecimo, quis sit verus Scriptura sensus	60	Antithesis. 74
Duodecimo, quod tres personæ in divinu per relativas proprietates distinguantur	61	Nostræ sententia confirmatio 75
Decimò tertio, quod Iudei crediderint immortalitatem animatum, resurrectionem corporum, extremum judicium &c	ead.	Eidem suffragatur. i. quod agnoscunt Scripturam de necessariis ad salutem nos plenè instruere 77
Decimò quartò, quod Maria virgo manifeste ead.	65	2. Scrat.
Decimò quintò, quod symbolum fidei ab Apostolis factum.	64	
Decimò sexto, quod Spiritus S. procedat à Filio.	65	

LIB. I. CONFESS. CATHOL.

2. Scripturam esse unicam & perfectam fidem regulam	ead.	4. Scriptura est tandem testimoniū mutus, lex & edictum, cui interpretatione opus est p. 92.
3. omnia dogmata in Ecclesia ad Scripturam amissim esse exigenda	ead.	CAP. IV. de doctrina in Rom. Ecclesia corrigione
4. Scripturam sacram esse canonem ac regulam fidei & vita aeternae	79	Thefio. ead. 93
5. quod non consentiunt, quid per verbum ap̄p̄to, intelligendum	82	Indio. ead. 94
6. quod tales ponunt regule proprietates, qua sola Scriptura convenient	83	Antithesis ead. 95
Exception Adversariorum. Scripturam esse quidem fideli regulam, sed partiale.	ead.	Eidem suffragatur. 1. quod quidam ante tempora Lutheri fassunt, doctrinam Rom. Ecclesie fuisse corruptam & reformatione indiguisse
Argument. Adversar. Si scripture precipuus finis esset, ut sit regula fidei, concinere debet omnia & sola illa, que ex se ad fidem pertinent.	84	2. quod quidam, tum Lutheri cibygores tunc post Lutheri tempora fassunt, doctrinam & cultum Roman. Ecclesie fuisse corruptum & reformatione indiguisse. p. 110. utpote
CAP. III. de iudice controversiarum in Ecclesia	85	Primo, Imperatores, Reges, Principes & Statutus Romani Imperii ead.
Thefio.	ead.	Secundo, Pontifices, Cardinales & Episcopi 115.
Indio.	ead.	Tertio, Theologi, politici & Historici 120
Anitthesis.	86	3. quod longe plurimi de corruptelis morum publice in Ecclesia Roman. grassantibus conquesti fuerunt, 129. Ejusmodi querela sunt.
Nostra sententia confirmatio	87	vel generales 130
Eidem suffragatur. 1. quod quidam judicarias partes Scriptura deferunt.	ead.	vel speciales, utpote, 1. de dispensationibus Pontificium etiam contra Conciliorum decreta 145
2. quod Christum in verbo suo scripto ad nos loquenterum judicem constituant	89	2. de impunitis Ecclesiasticarum personarum delictis ead.
3. quod Scripturam agnoscunt esse verbum & vocem Dei, judicu supremi & infallibiliā 90.		3. de concubinatu permisso 146
4. eandem esse normam, juxta quam ministerialis judex in fidei controversiis judicare debet	ead.	4. de lupanaribus permisso ead.
Argum. Advers. 1. Scriptura S. est litera myra & mortua	ead.	5. de asylū institutis ead.
2. Scriptura variis sensus recipit, nec potest discernere, quin sit verus sensus	91	4. quod superioribus seculū multi & voce & scriptū testati sint, Pont. Rom. esse Antichristum ead.
3. Judex debet videri & audiri ab ultra litigantium parte, debet habere autoritatem coaetivam	ead.	5. quod

SCHEMATICUS

5. quod agnoscere coguntur, ante Lutheri tempora supinum lectionis Scripturarum neglegitum non solum apud Laicos, sed etiam apud Clericos viguisse.	188
CAP. V. de reformationis predictione.	147
CAP. VI. de reformationis organo	154
CAP. VII. de reformationis occasione.	162
<i>Ubi nostra sententia suffragatur, quod agnoscunt, reformationis occasionem dedisse,</i>	
1. corruptelas doctrinae.	163
2. immodica Indulgentiarum Papalium praconia,	165
3. immoderata Papalia potestatis praconia, ejusdemq; abusus,	172
4. corruptelas morum publicè in Ecclesia grafsantes.	ead.
5. Propugnatorum Sedit Romanæ pertinaciam emendationem proterve respuentem.	175
6. quod nemo eorum, qui primi contra Lutherum scripsierunt, ipsi objecerit, quod ex merita invidia & ambitione controversiam illam moverit.	ead.
7. quod quidam fatentur, Lutherum banc causam incepisse in Dei nomine.	ead.
8. inscitiam & barbariem eorum, qui docendi munere prefecti fuerunt, reformationi occasionem dedisse.	ead.
CAP. VIII. de elogio veritatis Confessionis Ecclesie nostra Evangelice attributo.	176
<i>Suffragatur nostra doctrina & Ecclesia, quib; quidam agnoscunt, 1. doctrinam nostram Scriptura S. esse conformem.</i>	
2. nostram doctrinam promovere Dei gloriam.	182
3. doctrinam nostram in agone mortis præbere solidam consolationem.	184
4. principia fidei Christianæ capita pure & integræ in Ecclesia nostrâ doceri, nosq; in Ecclesia Catholica gremio contineri.	185
5. propriam heresim definitionem nobis non competere.	188
6. Deniq; huc referri potest, quod B. Lutherus Pontificiū passim opponit propriam Confessionem cum verbū clarū & perspicuum proposuitam. 188. tum facto ipso expressam.	189
CAP. IX. de mediis, per quæ religio nostra propagatur.	191
